



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio I. An sit aliqua scientia in Deo quæ sit causa rerum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)



conditionata significat connexionem aliquam antecedentis cum consequente, sed nulla est connexio inter Chimæram quæ est homo, & consensum ad gratiam, ergo illa propositio simpliciter est falsa, si Chimæra esset homo responderet Deo vocanti. Ista verò est semper vera si homo esset Angelus careret corpore, quia hoc est idem, ac omnis Angelus caret corpore, unde illud cognoscitur per scientiam possibilem, non autem per scientiam mediam. Deinde ponere in Deo huiusmodi scientiam planè nugatoriam, est reddere ludicram, & vanam scientiam futurorum conditionalium, & ponere in Deo cognitiones infinitas infinitas, otiosas & omnino impertinentes, Deoque indignas.

Solutio  
trium diffi-  
cultatum

Ad primam Resp. Deum nihil vquam promittere, nisi quod facere decreuerit, atque adeò semper promissio supponit, vel includit decretum, cum ergo dicis veritatem harum propositionum pendere à promissione idem est ac si dicas, illam pendere à decreto quod includitur in promissione, atque ita promissio est vera practicè, quatenus facit verum id quod promittit. Dixi autem propositiones hypotheticas nunquam significare posse solam coexistentiam antecedentis, & consequentis, alioqui significarent idem ac copulatiuæ.

Ad secundam Respon. negando ipsam argumentis probari quod cognoscatur futura conditionata impossibilia, quibus probatur cognosci futura absoluta: verum est quod in omnibus etiam futuris disparatis, aut impossibilibus contradictoriarum semper una est vera, & altera falsa, sed ita tamen ut negatiua semper sit vera, affirmatiua verò semper sit falsa, v.g. ex his duabus, si Chimæra esset homo, responderet nunc Deo vocanti, non responderet nunc Deo vocanti, semper vera est ista, non responderet Deo vocanti, quia propositiones quæ affirmant connexionem, quæ non est semper sunt falsæ ut dixi.

Ad tertiam Resp. quod si quaeretur à Deo, quid faceret nunc Petrus, si posset agere independentem à Deo, Responderet Deus nihil faceret, quia hæ propositiones (ut dixi) semper sunt falsæ, nisi quando sunt in materia necessaria, ut cum dicitur si à filio non procederet Spiritus Sanctus, non distingueretur à filio.

### S. III.

*Vtrum per hanc scientiam Deus cognoscat omnia quæ sunt absolutè futura.*

**M**ltra (ut monui) sunt futura conditionatè, quæ nunquam erunt, quia conditio illa nunquam ponitur, alia verò sunt futura conditionatè simul, & absolutè, quia eorum conditio ponitur. Difficultas ergo est vtrum prius ratione quàm Deus cognoscat per scientiam visionis, ea quæ sunt absolutè futura, cognoscat illa per scientiam mediam, ut futura conditionatè, sicut prius illa cognoscit ut possibilis, per scientiam simplicem.

Triplex  
dubitatio.

Ratio dubitandi est primò, quia Deus non cognoscit attributa sua, & se ipsum per scientiam mediam, v. gr. si Deus esset, esset omnipotens, si Deus esset, mundum veller creare, hæc absurda & superflua esset cognitio, cū Deus illa cognoscat per scientiā visionis.

Secundò, cognitio practica imperfectissima est, neque conuenire vllā ratione Deo potest; sed si Deus cognosceret conditionatè illa quæ sunt absolutè futura cognosceret illa practice, ergo, &c.

Tertiò, si prius cognoscit rem ut futuram conditionatè quàm ut futuram absolutè, necesse est ut futurio conditionata sit causa futuritionis absolutæ. Denique admittuntur in Deo cognitiones istæ valde inutiles, si sol lucet, dies est: si Petrus mouetur mutat lo-

cum, quæ omnia cognoscuntur per scientiam visionis quia in his affirmatur solūm connexio antecedentis, & consequentis, quæ omnino est præsens, & absoluta.

Dicendum tamen est Deum per scientiam mediam prius ratione cognoscere ut futura conditionatè illa, quæ absolutè futura sunt. Ita Ruiz, Suarez, Herice, negat Arrubal de futuris necessarijs.

Conclusio  
affirmati-  
ua.

Ratio est, quia primò, sæpè patres disputant, quare Deus Angelos, & homines creauerit quos peccaturos esse præsciebat, dicunt posse Deum illos homines qui peccatores fuerunt, antecedenter non facere, cum sciret eos peccaturos, & eos rapere, ne malitia illos peruerteret, quæ non est scientia visionis ut patet, quia præcedit Dei decretum de illis creandis. Deinde à priori ratio est, quia illud cognoscitur ut futurum conditionatè, quod cognoscitur futurum, & non est adhuc futurum absolutè, sed antequam res futura sit absolutè, cognoscitur à Deo ut futura, alioqui Deus non posset decernere rem absolutè futuram, si prius non explorasset quid factura sit voluntas.

Ad primam Resp. nihil cognosci à Deo posse ut futurum, quod sit existens, & æternum, ideò nec se ipsum, nec vllum suum attributum potest cognoscere ut futurum sub conditione.

Solutio  
trium du-  
bitatio-  
num.

Ad secundam Resp. nullam esse in Deo cognitionem practiciam, sed vnicam realiter scientiam, quæ videt simul omnia, & possibilis, & futura tūm absolutè, tūm conditionatè, quæ tamen à nobis diuiditur in plures conceptus distinctos non ratione Dei, sed ratione nostri.

Ad tertiam sæpè dixi, futuritionem conditionatam esse priorem futuritione absolutā, non quod eam vllō modo causet, sed quia est obiectum scientiæ mediæ, quæ dirigit decretum absolutum prærequisitum ad futuritionem absolutam rei: istæ propositiones si sol lucet, dies est & ceteræ huiusmodi, non cognoscuntur per scientiam mediam, quia ibi nihil est conditionatè futurum, sed existens.

## QVÆSTIO V.

*De scientia practica, & ideis diuinis.*

**S**cientiæ illæ quas hætenus exposui intra Deum Sipsium consistunt, per istam extra se Deus prodit, & perenni emanatione se ipsum communicat creaturis, quia illa tota operatrix est, & fecunda. Quæcunque verò disputari de ea possent, pertinere videntur ad ea, quæ disputari solent in genere de scientia practica & ideis, quæ in philosophia exposita sūt. Vnde nūc breuiter duo disputanda restant. Primò, an & qualis scientia Dei sit practica & causa rerū. Secundo, an & quales in Deo sint ideæ per quas est causa rerum.

### SECTIO I.

*An sit in Deo aliqua scientia practica quæ sit causa rerum. Art. 8.*

**C**ertum est primò, admittendam omnino esse in Deo scientiam practicam, quia omne agens intellectuale liberè operans exigit cognitionem, quæ dirigat voluntatem & potentiam exequutricem, illa est quam vocamus practicam, quā nimirum cognoscit Deus quomodo debeat operari. Quia verò duo sunt genera operationum in Deo, quæ debent dirigere, alia internæ sunt, decreta nimirum, quæ debent esse rectissima: alia sunt externæ operationes, quibus efficit creaturas, scientia quæ primi generis operationes dirigit prudentia est: altera verò est ars, quæ est secta ratio efficiendi ea, quæ sunt extra operantē. Licet autem practica sit hæc scientia respectu decretorum omnium liberorum, & respectu creaturarum omnium etiam

Datur  
scientia  
practica in  
Deo.



A'iqua Dei  
scientia est  
causa re-  
rum.

etiam earum quæ nunquam erunt, respectu tamen amoris quo se ipsum, Deus amat non dicitur libera, quia non dicitur practica scientia Dei nisi pro ut regular, quod autem non potest aliter se habere, nullâ eger regulâ, præluet ergo quidem scientia Dei amoris necessario, sed non illum dirigit.

Certum est secundò, verè ac propriè debere dici quod scientia Dei sit causa rerum. Ita enim cum S. Thom. Theologi omnes asserunt, primò, quia scripturæ id clarè asserunt, *Dominus sapientia fundavit terram. Omnia in sapientia fecisti.* Quis horum magis quàm illa est artifex, omnia per ipsum facta sunt. Deinde idem asserunt Patres. Dionys. c. 7. de diuin. nomin. scientiam Dei vocat. *Artificem quæ omnia semper componit & causam coherentiam ac ordinis omnium.* Augustin. lib. 15. de Trinit. c. 13. *Vniuersus creaturas suas, non quia sunt nouit, sed ideo sunt, quia nouit.* Additque rationem, non enim nesciuit quæ fuerat creatura, quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit sciuit. Et lib. 6. cap. 10. non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt, ac non potius, ideo facta sunt, quia immutabiliter à Deo sciuntur. Rationes multæ ac optimæ afferuntur à S. Thoma, nam agens perfectissimo modo intellectu nihil operatur nisi per cognitionem; prius enim formam in se ipso habere debet quàm illam extra se producat. Deinde certum est Deum nihil agere nisi per intellectum quia voluntas non fertur in incognitum. Denique illud quod ita dirigit omnipotentiam, ut sine illa directione agere nequeat, est causa operationum, huiusmodi est scientia Dei.

Neque hinc sequitur, quod Deus causat omnia, quæ sciit, etiam si causet res, quia illas sciit, quia nihil causat sine libero voluntatis decreto, non enim concurrat ad executionem operis, nisi dirigendo voluntatem, & ex eius determinatione imperando executionem, *Voluntas enim mouet* (inquit Hugo à S. Victore) *scientia disponit, potentia operatur.* Neque sequitur etiam, quod scientia non sit causa rerum nisi mediata, quia inter scientiam, & effectum non mediat omnipotentia tanquam instrumentum scientiæ, sed tanquam concausa, scientia enim immediatè per se dirigit voluntatem, & applicat potentiam executiuam ad opus.

His positis quæ apud omnes Theologos sunt certissima, celebris controuersia est. Vtrum scientia illa, quæ ars Dei est, sit scientia simplex, quæ Deus cognoscit effectus possibiles, an verò scientia visionis quæ cognoscit illos ut existentes & futuros, ita ut verum sit dicere, ideo effectus est futurus, quia Deus videt illum futurum.

Status con-  
trouersia.

Ratio autem dubit. est primò, quia videtur ea planè mens esse August. locis illis quæ afferebam non ideo, nouit quia sunt, & c. idem habetur lib. 5. Ciuit. c. 9. & lib. 13. Confess. cap. vltim. *nos ista videmus quæ fecisti, quia sunt, tu autem quia vides, ea sunt:* Gregorius lib. 20. Moral. cap. 24. *Quæcumque sunt non ideo ab æternitate videntur, quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.*

Secundò, scientia quæ terminatur ad esse rerum actuale, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis, scientia quæ causat res terminatur ad actuale rerum esse, ergo est scientia visionis. Deinde scientia simplex simpliciter est necessaria, & æqualiter refertur ad omnia possibilia, ergo si per illam Deus causat, necessariò causat omnia. Denique scientia illa quæ est causa rerum, sequitur decretum voluntatis, & est libera, scientia simplex illud antecedit, ergo illa scientia non est causa rerum.

Triplex  
dubitatio.

Tertiò, si scientia visionis, non est causa rerum, verum est dicere rem futuram, ideo præsciri, quia futura est, hoc autem non esse Verum, probatur, quia sic scientia Dei esset fallibilis, nam obiectum contingens est secundum se fallibile, ergo si Dei scientia sumitur ab obiecto erit fallibilis: imò prior erit volun-

tas hominis voluntate Dei, & sic Deus non erit causa prima. Denique scientia visionis penderet ab obiectis extrinsecis, quia vera esset hæc causalis, ideo præsciu-uit, quia erunt.

Dicendum tamen est, scientiam visionis nullo modo esse causam rerum, sed solam scientiam simplicis intelligentiæ. Ita expressè S. Thomas art. 8. & 16. & q. 19. art. 4. ad 4. Et sapè alibi sciuntur cum eo veteres Thomistæ, Capreolus, Franciscus Romæus, & plures alij. Deinde Bellarm. lib. 4. de Gratia & libero Arbitrio, c. 13. Suar. lib. 1. de Auxiliis c. 13. & Prologom. secundo de Gratia, c. vltimo. Valentia, Ruiz, Herice, Arrubal, apud quos fuit id probatum reperies, ego paucis contentus ero.

Assensio.

Primò, enim sanctorum Patrum expressissima sententia est, v. gr. S. Iustinus quæst. 18. ad Gentes: *Causa* (inquit) *eius quod futurum est, non est diuina prænotio, sed potius quod futurum est, causa est prænotionis, neque enim prænotionem sequitur quod futurum est, sed potius quod futurum est, prænotio:* Origenes lib. 7. in Epist. ad Rom. cap. 8. *In præscientia Dei neque salutis nostra neque perditionis pena consistit, quia non propterea erit aliquid quia Deus id sciit futurum, sed quia futurum est, sciit à Deo antequam fiat.* Hieronymus in c. 26. Ieremiæ, *non enim ex eo quod Deus sciit futurum aliquid, idcirco futurum est sed quia futurum est ideo Deus nouit præscius futurorum.* Alios innumeros dabant Ruiz, disp. 33. 34. 36. Suares, & Vasques.

Patres

Secundò, à priori ducitur Ratio ex S. Tho. art. 8. & q. 22. art. 2. ubi dicit quod eodem modo scientia Dei est causa rerum quo scientia ipsius artificis causa est operis, sed scientia artificis non est causa operis, quatenus cognoscit opus iam existens, sed quatenus cognoscit opus ut factibile, & modum quo illud est faciendum, ergo scientia Dei nõ causat opera pro ut videt illa existere, quod pertinet ad scientiam visionis, sed pro ut cognoscit naturam eorum, & modum, quo sunt facienda quod spectat ad scientiam simplicis intelligentiæ. Confirm. quia cognitio intuitiua rei iam existentis præsupponit rem productam, haurit enim species ab obiecto producto, ergo scientia intuitiua rei existentis non est causa rei, neque dirigit potentiam exequentem.

Triplex  
ratio.

Tertiò, illa scientia non dirigit voluntatem, quæ sequitur decretum voluntatis, quomodo? enim præluceret illi, si supponeret illud iam factum, sed scientia visionis supponit decretum iam factum, ergo illa non dirigit voluntatem, sed eodem modo se habet, quo intuitio rei præsentis, quæ merè speculatiua est, & non facit, sed supponit obiectum existere.

Denique, si scientia futurorum esset causa rerum, & illam antecederet, tolleretur libertas voluntatis, quia suppositio quæ antecedit vsum libertatis, cum qua stare non potest negatio actus, tollit libertatem.

Ad primam Resp. omnia illa loca Augustini vera esse de scientia simplici, quæ ars Dei est, non de scientia visionis, quæ supponit res iam factas, & decretum voluntatis. Gregorius autem vult duntaxat, cognitionem Dei non pendere à præsentia rerum, ut nostram. Idè ergo res non sunt obiectiue Deo præsentis, quia videntur, quia visio Dei absoluta est ab omni respectu, & dependentia, quamuis verum sit res videri à Deo futuras, quia sunt futurae.

Solutio  
erium dif-  
ficul-  
tatum.

Ad secundam Resp. disting. maiorem, cognitio quæ terminatur ad esse rerum actuale tanquam repræsentatio ad obiectum repræsentatum est scientia visionis concedo, quæ terminatur ad esse actuale tanquam causa ad effectum est scientia visionis nego. Scientia Dei practica terminatur ad esse rerum actuale, non tanquam ad obiectum repræsentatum, sed tanquam ad effectum causandum. Fateor quidem quod scientia non potest causare esse actuale nisi repræsentando esse actuale, practice dirigendo voluntatem, sed non repræsentat



repræsentat speculatiuè quod est proprium scientiæ visionis. Deinde fateor scientiam simplicem quatenus est speculatiua esse necessariam, esse autem liberam quatenus est practica, quia non causat nisi cum decreto voluntatis, quo potentia applicatur ad operandum.

Ad tertiam Respond. veram esse hanc propositionem, ideò Deus nouit hoc esse futurum, quia est futurum, neque tamen scientia Dei fallibilis est, quia eius obiectum ex suppositione necessarium sufficit ad infallibilitatem scientiæ quæ per se ipsam infinita est; imò & alterius scientiæ intuitiua finita, quia ex suppositione neque mouearis, infallibiliter video te moueri. Sed neque sequitur quod scientia Dei, causetur ab obiecto, aut ab eo pendeat, cum enim dicitur, quod prius est, rem esse futuram, quam illam videri à Deo non significatur genus vllum causalitatis, sed significatur duntaxat, quod existentia vel futuritio sit conditio necessaria, vt Deus se ipso determinetur ad cognitionem illius, ad quam erat prius indifferens; verum igitur est, quod ideò Deus nouit futurum quia est futurum, sed illud (quia) non significat causalitatem, neque dependentiam, sed conditionem tantum & occasionem, quæ prior est ratione quam videatur à Deo res futura.

## SECTIO II.

*De ideis diuinis quatenus sunt scientia practica.*

Quæst. 15.

**D**E idea fusè dixi, secundo physicorum, agens de causa exemplari, bene autem illam Atticus apud Eusebium l. 15. præparat. vocat *platonice philosophia caput ac summam*, vocaturque ab Alcino ex mente ipsius Magistri, *exemplar æternum eorum quæ sunt secundum naturam*. Pellus autem q. 10. physica vocat eam *primam artificis notionem velut operis futuri delineationem & descriptionem*.

Certum igitur est primò, esse in diuino intellectu ideas rerum omnium possibilem, quatenus illæ sunt realiter producibiles, sine quibus Deus artifex perfectissimus nihil planè posset producere, vocat eas Dionysius c. 5. de diuinis nominibus. *Species ac formas æternas, incommutabiles, quarum applicatione res singule formantur talisque sunt*. Ratio est, quia nullum agens intellectuale operari potest sine idea.

Certum est secundo, illas ideas non esse aliud quam expressissimas similitudines omnium agendorum & eorum effectrices (vt dixi) ex Dionys. qui etiam vocat eas *Rationes quæ in Deo sunt, substantiarum efficientes, singulariter subsistentes*, sed pulcherrimè Augustinus illas describit l. 12. ciuit. c. 20. vbi docet *Esse in diuina sapientia immensos quosdam thesauros rerum intelligibilibus, in quibus sunt omnes inuisibiles, & incommutabiles rationes rerum etiam visibilibus, & mutabilium, quoniam Deus non aliquid nesciens fecit*, & libro 83. quæstionum quæstione 46. *Sunt (inquit) ideas principales, forme quedam vel rationes rerum stabiles, & incommutabiles quæ in diuina intelligentia continentur*.

Certum est tertio, ideam primariam quidem sed remotam esse ipsam essentiam Dei: ideam primariam proximam esse conceptum ipsum formalem: conceptum autem obiectiuum esse ideam secundariam, vnde in Deo vnica est sine dubio idea primaria, secundariæ verò sunt infinitæ quæ omnia suppono probata esse in physicis.

Tom. I.



## DISPVATIO IV.

*De perfectionibus voluntatis diuinæ.*

Quæst. 19. 20. 21.

**D**IVINUM intellectum quadruplici, vt vidimus scientiæ lumine splendens, sequitur voluntas sanctitatis totius sacramentum, virtutum augustale, libertatis & decretorum omnium penetrale secretissimum, cuius naturam & proprietates, vt pro materia obscuritate proponam clarissimè, tria videntur necessaria. Primò, perfectio voluntatis diuinæ generatim. Secundò, illius libertas. Tertio, illius reliquæ proprietates & virtutes.

## QUESTIO I.

*De perfectione voluntatis diuinæ generatim.*

**N**OMINE voluntatis intelligitur facultas, quæ præuia cognitione bonum prosequitur, auertatur malum, intendit finem, & eligit media propter ipsum. Considero ergo primum qualis in Deo, & quoruplex sit voluntas. Secundò, quale obiectum illius sit. Tertio qualis & quam multiplex eius actus.

## SECTIO I.

*Qualis in Deo, & quoruplex sit voluntas.* Quæst.

19. Artic. 1. 11. 12.

**C**ERTUM est primò, esse in Deo voluntatem, quia vt suppono probatum ex Philosophia omne intellectiuum est etiam volituum, quia omnis forma semper habet per se loquendo appetitum sibi consentaneum, quo feratur in obiectum conueniens, omnis intellectio est forma, ergo habet appetitum sibi consentaneum.

Dices, si Deus reuelaret Angelo se nolle concurrere cum eo ad eius volitionem illa intellectio non posset ordinari ad volitionem. Respon. illam intellectio per se loquendo etiam ordinari absolute ad volitionem, quia per se semper obiectum habet odio dignum, quamuis per accidens nulla volitio possit eam sequi ex eo quod Deus nequeat mentiri.

Certum est secundo, nihil esse in diuina voluntate, quod possit habere rationem actus primi, siue sit ipsa potentia voluntatis, siue habitus, siue aliquid aliud, quia vt constat ex supra dictis omnis actus primus immanenter operatiuus dicit imperfectionem, & potentialitatem, vnde tota Dei voluntas est amor subsistens, vnicus, infinitus, &c.

Certum est tertio, esse in Deo appetitum naturalem, id est inclinationem ad aliquod bonum immediate ortam à natura sine media cognitione, potestque huiusmodi appetitus in Deo distingui triplex; nam essentia quatenus est principium virtuale attractoriorum habet ad illa inclinationem, & persona produciens inclinationem habet ad personam productam, & omnipotentia naturaliter inclinatur ad creaturas, neque tamen violentiam patitur circa eas, quas non facit, quia naturalis ille appetitus includit semper cognitionem & appetitum elicitem vt conditiones; Deus enim habet appetitum communicandi se creaturis, quando recta ratio id ei dictabit, & voluntas eligit.

His ita constitutis, restant diuisiones quædam volitionis diuinæ, quarum inter Theologos mentio habetur frequentissima. Prima est, quam tradidisse

Datur voluntas in Deo.

Non est actus primus.

Appetitus naturalis.

O

primus